quod illo saltem modo corrumpi non possit. Jam vero an talis desitio dicenda sit violenta, et præternaturalis omnino qualitati gratiæ vel charitatis, quæstio esse potest de modo loquendi. Nam quoad rem pendet ex alia quæstione, an peccatum physice expellat charitatem, vel tantum moraliter, quam infra tractabimus. Nunc ergo dicimus charitatem duos habere status, viæ et patriæ, et in priori esse corruptibilem ex parte subjecti, licet de se non habeat principium corruptionis, in futuro vero statu futuram esse simpliciter incorruptibilem. Rationem reddit D. Thomas supra, terminis philosophicis, quia in hoc statu non replet totam subjecti capacitatem, utique quia non necessitat illud ad actualem Dei amorem ex defectu claræ visionis Dei; inde enim fit ut, cessante actu ipsius et intellectu non plene considerante, per peccatum expelli possit. In patria vero replebit capacitatem subjecti in sensu contrario, et ideo ita firmabit voluntatem in bono, ut peccare non possit, ac proinde nec ipsa corrumpi. Quæ ratio supponit charitatem non posse amitti nisi peccando, quod est verissimum, quia dona Dei sunt sine pœnitentia, et ideo sine causa ex parte subjecti non desinit illa conservari; nulla autem alia dispositio est contraria gratiæ ex parte subjecti, nisi peccatum. Quod autem peccatum criminale repugnet charitati, jam est in superioribus ostensum; modum autem repugnantiæ in sequentibus explicabimus.

24. *Confirmationes diluuntur.*—Unde patet etiam responsio ad primam confirmationem, nam primo non recte æquiparatur qualitas gratiæ cum substantia, quia, ut dixi, gratia, eo ipso quod est in subjecto, non annihilatur, sed corrumpitur esse gratum, manente subjecto; substantia autem per se incorruptibilis et simplex non potest desinere nisi per annihilationem, et ideo non est par ratio. Nec annihilatio esset conveniens punitio, quia hæc debet versari circa subjectum quod alicujus mali sit capax, et ideo magis punitur homo privatione charitatis quam privatione totius esse. Nec etiam est verum, gratiam non habere contrarium, nam peccatum mortale vere illi opponitur, sive oppositio sit physica, sive moralis; hæc enim posterior maxime in hoc negotio consideratur. Ad secundam rationem, respondetur esse diversam rationem luminis gloriæ et visionis beatæ, quia in illis non habent locum illi duo status quos distinximus, quia per se ab intrinseco constituunt hominem in statu beatitudinis, et secum connaturaliter afferunt necessitatem actualiter recte considerandi, et ideo quoad incorruptibilitatem gratiam ipsam et habitualem charitatem superant.

CAPUT II.

UTRUM GRATIA SEMEL HABITA NUNQUAM ITA AMITTATUR, QUIN ALIQUANDO TANDEM RECUPERETUR AC SEMPER DURET?

1. *Hæresis Wiclephi.*—In hoc capite alia hæresis explodenda est, quæ docuit gratiam semel comparatam non posse ita amitti quin iterum in hac vita recuperetur, etiam cum perseverantiæ munere pro aliquo vitæ tempore usque ad mortem. Hæc hæresis tribui solet Wiclepho. Dixit enim gratiam in solis prædestinatis esse posse, reprobos autem nunquam posse esse vere justos. Ita de illo hæretico refert Waldens., tom. 2, c. 160, qui consequenter dixit omnia peccata prædestinati esse venialia, et omnia reprobi esse mortalia, ut idem refert cap. 55. Et quamvis hi errores in illis 45 damnatis a Concilio Constantiensi, sess. 8, non contineantur, ibidem tamen dicitur plures alios articulos erroneos in illius libris repertos esse, quos Waldensis legit, et dubitari non potest quin fideliter referat. Unde in eodem Concilio, inter articulos Joannis Hus invenientur aliqui errores his similes, licet cum magna obscuritate et contradictionis specie. Nam in primo dicitur Ecclesiam tantum esse congregationem prædestinatorum, et in secundo dicitur prædestinatum nunquam esse membrum diaboli, ex quo aperte sequitur nunquam esse in statu peccati, sed in gratia. E contrario vero dicitur in tertio, præscitum nunquam esse partem Ecclesiæ, et ratio redditur, quia nulla pars Ecclesiæ finaliter excidet, eo quod prædestinationis charitas, quæ ipsam ligat, non excidet. At vero in quinto additur præscitum aliquando esse in gratia secundum præsentem justitiam, et nihilominus etiam tunc non esse partem Ecclesiæ. Et e contrario de prædestinato dicitur posse excidere a gratia adventitia, et nihilominus etiam tunc esse partem Ecclesiæ, quia non cadit a gratia prædestinationis, et in sexto etiam supponit prædestinatum esse posse in gratia, et extra illam.

2. *Subterfugium detegitur.*—Quia vero in illa doctrina, et inter illos articulos quædam repugnantia esse videbatur, ad illam vitandam videtur hæreticus introduxisse distinctionem illam gratiæ, in gratiam adventitiam et gratiam prædestinationis, in qua non explicat quæ sit illa gratia adventitia, nec intelligi potest quæ esse possit, nisi illa quæ nobis inhæret, qualis etiam est gratia sanctificans, et habitus, et actus ejus. Quod si hanc gratiam in præscito aliquando esse, et in prædestinato aliquando inveniri privationem ejus fateatur, non est nobis cum illo contentio, licet in multis aliis erret. Nam indicat prædestinationem esse formam seu gratiam justificantem formaliter hominem, et ideo gratiam sanctificantem esse immutabilem, licet non neget aliam gratiam amissibilem. Et inde etiam errat, asserendo membra Ecclesiæ sola prædestinatione constitui, et homines habentes gratiam, si præsciti sint, non esse partes Ecclesiæ, et prædestinatos semper esse partes Ecclesiæ in quocumque statu extra gratiam sint. Sed isti errores, quatenus ad formam sanctificantem attinent, in libro 7 et 8 impugnati sunt; quatenus vero spectant ad formam constituentem Ecclesiæ membra, in propria materia refelluntur, nec ad præsentem quicquam referunt. De prædestinatione autem, seu gratia prædestinationis (ut ille loquitur, cum de nomine non contendam), certum est esse immutabilem, quia non est forma sanctificans prædestinatum, nec est aliquid creatum, nec propria gratia inhærens homini, quam Augustinus, lib. de Prædestinat. Sanct., cap. 10, a prædestinatione distinxit, de qua propria gratia tractamus. Unde si ille hæreticus fatetur hanc esse posse in reprobo, et ita amitti ut nunquam reparetur, licet alias male sentiat de natura vel effectu illius gratiæ, non est nunc nobis cum illo contentio quoad articulum de amissibilitate gratiæ.

3. *Sequitur Calvinus eamdem fere hæresim.* — Denique ab hoc errore parum discrepavit Calvinus; non enim dixit absolute prædestinatum non posse extra statum gratiæ existere, nam potest aliquando non credere, et tunc fatetur Calvinus non esse justum, et loquitur consequenter, quia censet per solam fidem justificari. Tamen, postquam semel prædestinatus credit, et per fidem justificatus est, dicit non posse amplius ad statum injustitiæ redire, quia non potest fidem amittere. E contrario vero de reprobis censet, nunquam vere justificari, quia fides justificans est proprium donum electorum. Verba Calvini refert Bellarminus, lib. 1 de Amission. justit., cap. 4, circa finem. In his autem omnibus non invenio aliquem qui dixerit gratiam semel habitam posse amitti, licet non in perpetuum seu nunquam recuperandam. Nam qui dicunt reprobos nunquam habere gratiam, etiam dicunt nunquam illam amittere vel non recuperare, quia nemo amittit nisi quod habet, nec recuperat aut non recuperat nisi quod habuit. Qui vero negant posse mutari prædestinatos a gratia semel recepta, simpliciter id affirmant vel per totam vitam, ut Wiclephus, vel postquam illam acceperant, ut Calvinus. Illud autem medium, scilicet, quod justi possint gratiam amittere, licet non in perpetuum, non invenio ut ab aliquo assertum referri. Tamen quia omnes illi errores extremi refutantur ex dictis in capite præcedenti, et hic error medius ab aliquo fingi potest, illum expendere et refutare necessarium est.

4. *Fundamentum hæresis Wiclephi.*—Supposito ergo fundamento fidei, jacto in capite præcedenti, gratiam habitam posse amitti, quod illa amissio non possit esse perpetua suaderi potest primo, quia semel justificatus per baptismum non potest damnari, nec privari æterna beatitudine; ergo, licet aliquando gratiam amittat, non potest illa perpetuo carere. Consequentia evidens est, quia æterna beatitudo absque gratia non obtinebitur. Antecedens autem probatur ex promissionibus factis hominibus justificatis, Marc. ult.: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit;* Joan. 4: *Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum, sed aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Ubi certum est per metaphoram aquæ Christum gratiam suam intellexisse. Item Joan. 6: *Qui munducat hunc panem,* utique digne, *vivet in æternum;* et ad Rom. 7: *Quos justificavit, illos et glorificavit.* Ex his ergo sic concluditur: divina promissio infallibiliter implebitur; ergo semel justificatus gloriam infallibiliter consequentur; ergo, licet cadat, resurget infallibiliter. Et ratio reddi potest, quia justus per gratiam consequitur jus ad gloriam; ergo non frustrabitur perpetuo illo jure propter impedimentum supervenientis peccati; ergo ad justitiam Dei spectat auferre tale impedimentum, ut jus illud persolvatur. Et ideo Paulus ad Hebr. 6 ad lapsos post justificationem dicit: *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

5. *Secundum fundamentum.*—*Confirmatur*

ex 1 Joan. 2. — Secundo argumentor a contrario, quia illi, qui tandem damnantur, nunquam fuerunt vere justi; ergo e converso qui semel vere sunt justi, et gratiam obtinent, non possunt illam in perpetuum amittere. Consequentia est clara, et antecedens probari potest primo, quia contrariorum eadem est ratio; nam per prædestinationem homo constituitur justus; ergo e converso qui reprobus est, nunquam potest esse vere justus. Antecedens patet, quia prædestinatus, ut talis est, est maxime dilectus Deo; ergo gratus; ergo justus; ergo prædestinatione constituitur justus, ac subinde sine illa nemo potest esse de societate justorum. Confirmatur hoc ex illo 1 Joan. 2: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, sed ut manifesti sint, quia non sunt omnes ex nobis.* In quo testimonio, *esse ex nobis* nihil aliud esse videtur quam esse membra corporis Ecclesiæ, in quo nos sumus; ait autem Joannes, qui omnino deserit Ecclesiam, nunquam ex illa fuisse; ergo sentit eum, qui fit infidelis vel hæreticus, nunquam vere fuisse fidelem. Ex quo eadem ratione sequitur eum, qui omnino deserit justitiam, ita ut ad illam amplius non redeat, nunquam illam habuisse; eadem enim est ratio de justitia seu fide viva, quæ est de fide absolute et secundum substantiam sumpta.

6. *Concluditur secundum fidem. — Prima pars quoad prædestinatos suadetur.* — Nihilominus secundum Catholicam fidem dicendum est gratiam semel habitam amitti posse in perpetuum, ita ut nunquam reparetur. Hæc assertio aliter in prædestinatis, aliter vero in reprobis intelligenda et probanda est. Nam de prædestinatis verum est infallibiliter, quod gratiam finaliter seu in perpetuum non amittent. Unde postquam semel gratiam habuerint, ita reguntur et proteguntur a Deo, ut vel non cadant, vel, si ceciderint, resurgant, et ut, licet sæpius cadant et resurgant, tandem aliquando ita resurgant ut amplius non cadant. Hoc enim probant verba Pauli citata ad Roman. 8, et multa alia, quibus certitudo et efficacia divinæ prædestinationis ostenditur. Nihilominus tamen etiam in his vera est assertio juxta dicta supra de auxilio efficaci ad resurgendum a peccato, et de dono perseverantiæ, vel confirmationis in gratia. Quia omnes justi qui post lapsum ad gratiam redeunt, ita redeunt ut possent non redire, si vellent, non obstante cujuscumque vocationis efficacia; et similiter justi qui pro aliquo tempore in gratia usque ad mortem perseverant, possent non perseverare, si vellent, ex vi suæ libertatis, secluso singulari privilegio, si alicui forte datur, quod satis incertum est, ut dixi; ergo de omnibus justis, etiam prædestinatis ratione utentibus, verum est posse post quamcumque justificationem gratiam in perpetuum perdere. Et ita quantum ad hanc partem fundamentum hujus veritatis ex libertate arbitrii sumendum est, quam neque efficax gratia, nec prædestinatio tollit, ut est certissimum, et in superioribus satis probatum. Neque huic potestati obest infallibilis perseverantia, quia multa esse possunt ex vi causæ secundæ liberæ, quæ in præscientia Dei infallibiliter non evenient. Et ideo non obstat certitudo prædestinationis, quia, licet in sensu composito hæc duo non possint esse simul, prædestinatum lapsum nunquam resurgere, aut non aliquando perseverare, nihilominus ille etiam, qui prædestinatus est, potest simpliciter et (ut aiunt) in sensu diviso gratiam perpetuo amittere, quia illa prædestinatio supponit præscientiam, saltem conditionatam, infallibilem, quod illa potestas non reducetur in actum, si gubernetur et protegatur a Deo tali modo, quem modum Deus sua prædestinatione efficaci præordinavit.

7. *Suadetur secunda quoad reprobos, qui aliquando in gratia extiterunt.* — At vero in reprobis non solum certum est habere potestatem, sed etiam in actum redigi. Et quia hæretici non dubitant quin reprobi omnes finaliter in gratia non perseverent, et quod in æternum illa sint carituri, solum superest contra eos probandum posse hoc eis contingere post gratiam semel habitam, et in multis ita evenire. Hoc autem satis ostendetur, probando reprobos aliquando esse vere justos, et gratiam vere in se recipere, quam postea perpetuo amittunt. Primo igitur id potest inductione ostendi. Nam dæmones aliquando fuerunt in statu gratiæ, a qua irreparabiliter ceciderunt. Quo exemplo utitur Hieronymus, l. 2 contra Jovinianum, confirmans illud verbis Christi, Luc. 10: *Videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Idem Isaiæ 14; Ezechiel. 28; Cyrillus, lib. 9 in Joan., cap. 10. De Caïn etiam constat reprobum fuisse, et tamen justum aliquando fuisse negari non potest, quia saltem in infantia per fidem et diligentiam parentum ab originali culpa liberari facile potuit. Idemque argumentum fieri potest de omnibus Judæis circumcisis, qui tandem reprobati sunt, quamvis in infantia fuerint justificati. Idem etiam argumentum sumitur ex Christianis in pueritia rite baptizatis, quos fuisse justos negari non potest secundum fidem, neque etiam potest, salva fide, negari quin multi Christiani reprobi sint.

8. *Exemplum de Saulis damnatione. — Utrum Saul fuerit reprobus. — Negant aliqui probabiliter.* — Præterea solet induci exemplum speciale de Saule quem, etiam in ætate adulta, et cum ad regnum electus et assumptus est, fuisse justum, ex l. 1 Reg., c. 9, 10 et 12, colligitur. Unde Cyprianus, epist. 7, de illo et de Salomone a gratia cecidisse dicit; et tamen, licet de Salomone sub judice lis sit an fuerit damnatus, de Saule id aperte videtur testari Scriptura, 1 Paralipom. 10, nam, post narratam historiam de morte Saul, ut habetur 1 Reg. 31, subditur: *Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod prævaricatus sit mandatum Domini quod præceperat, et non custodierit illud; sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino.* Non tamen desunt qui respondeant quod, licet Saul a Deo fuerit corporaliter interfectus propter hæc peccata, potuisse nihilominus misereri animæ ejus, dando illi contritionem peccatorum. Unde potest expendi Scripturam non dicere Saulem mortuum esse in peccatis suis, sed propter peccata sua, et ideo non defuerunt Hebræi qui crediderint illum fuisse salvatum, eo quod, 1 Reg. 28, ei dixit Samuel: *Cras tu et filii tui mecum eritis,* id est, in sinu Abrahæ, in quo erat Samuel, quia erat locus justorum. Quam opinionem sequitur Lyranus cum ambiguitate, et Abul. quæst. 10, in c. 31 Reg., putat posse defendi sine errore, licet contrarium verum censeat.

9. *Affirmativa pars videtur probabilior.* — Sed omnino certum videtur Saulem reprobum fuisse, tum quia verba citata fere aperte significant illum fuisse damnatum, præsertim illa ultima: *Nec speraverit in Domino*, quæ non de tempore tantum in quo consuluit pythonissam, sed de reliquo tempore prolata esse videntur. Et indicium illius desperationis fuit, quod et armigerum suum induxit ut se occideret, et postea ipse se interfecit, quod grave peccatum et finale fuit, quia statim fuit mortuus. Unde Augustinus, lib. 2 ad Simplic., quæst. 3, pro certo supponit Saulem fuisse damnatum, et ideo exponit verba illa, *mecum eritis,* vel dicta esse a dæmone, qui personam agebat Samuelis, et ita relata ad personam Samuelis, falsa fuisse, et mentitum esse; relata vero ad propriam personam dæmonis vera fuisse, utique quoad personam Saulis, nam quoad filios ejus falsa esse potuerunt; vel certe si ponatur fuisse Samuelem qui apparuit, intelligenda esse non quoad æqualitatem in loco quietis, sed solum in morte, vel communi loco mortuorum, qui tunc erat locus inferus, quamvis in eo variæ essent mansiones. Eademque sententia refertur nomine Augustini, in Decreto 26, quæst. 5, capit. ult., § *Præterea,* quanquam caput illud Rhabani sit, idemque ut constans affirmat lib. 4 Reg., cap. 3, et aliis locis frequenter. Aliud denique exemplum de Juda adducit Hieronymus, libro 2 contra Jovinianum, versus finem, qui prius fuit justus, et signa faciens cum Apostolis, et postea reprobatus est, juxta verba Christi, Joann. 13: *Si hæc scitis, beati eritis si feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego scio quos elegerim.* Ubi id notat Cyrillus, libro 9, c. 10; et clarius c. 7: *Quos dedisti mihi, ego servabam eos, et nemo ex iis periit, nisi filius perditionis.* Ubi etiam Cyrillus, libro 11, cap. 21.

10. *Possibilitas damnationis justorum.* — Præterea possibile esse et interdum contingere ut justus reprobus fiat, manifeste ostendunt verba illa Pauli, 1 Corinth. 9: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Ubi particula *forte* evidenter ostendit rem esse contingentem de se, etiamsi Paulus ex speciali revelatione certus de sua perseverantia esse posset. Et idem sumitur ex illo Apocalyp. 3: *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Unde colligit Augustinus, libro de Corrept. et grat., cap. 13, posse aliquem justum perdere coronam gloriæ peccando, et ut compleatur electorum numerus, alium veluti loco alterius suffici. Et de hujusmodi ait Augustinus in fine capitis: *Gratiam Dei suscipiunt, sed temporales sunt, nec perseverant, deserunt et deseruntur.* Denique de his dicitur Ezechiel. 18 et 33: *Si averterit se justus a justitia sua, omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur in prævaricatione qua prævaricatus est, et in peccato suo morietur.* Quod quidem secundum doctrinam fidei habet subintellectam conditionem, *si non egerit pœnitentiam;* nihilominus tamen sicut illa verba supponunt posse justum avertere se a justitia sua, ita etiam supponunt posse in illa aversione perseverare usque ad mortem et damnari. Et idem aperte confirmat Petri monitio, 2 epist., cap. 1: *Satagite ut per bona opera certam ves-*

tram vocationem et electionem faciatis. Quæ testimonia fere ad hanc rem comprobandam adduxit Concilium Tridentinum, sess. 6, c. 11, et in c. 12 concludit, *sicut non est verum semel justificatum amplius peccare non posse, ita esse verissimum ac certissimum semel justificatum, si peccaverit, certam resipiscentiam sibi promittere non posse*. Et canon. 15 damnat dicentes teneri justum ad credendum ex fide, se certo esse in numero prædestinatorum.

11. *Evidens ratio superioris conclusionis.* — Unde tandem concluditur evidens ratio hujus veritatis, suppositis principiis fidei, quia homo semel justificatus potest peccare et gratiam amittere, ut jam ostensum est; sed postquam gratiam amisit, potest nunquam recuperare illam usque ad mortem; ergo potest justus gratiam semel habitam in æternum perdere, et beatitudine privari ac damnari. Consequentia nititur in alio principio fidei, quod moriens in peccato mortali æternam beatitudinem non consequitur, quia, ut ait Paulus 1 Corinth. 6: *Iniqui regnum Dei non possidebunt*. Minor probatur, quia non potest gratiam recuperare, nisi ad illam iterum recipiendam libere se disponat; potest autem pro libertate sua non se disponere; ergo et in gratiam nunquam redire. Et ne quis dicat hoc esse verum non de potestate quæ interdum habeat effectum, sed solum de potestate quæ se tenet ex parte liberi arbitrii, et in sensu diviso in eo manet, licet non sit reducenda in actum, contra hoc instatur, quia illa potestas liberi arbitrii indiget auxilio efficaci, ut conversionem seu dispositionem sufficientem ad recuperandam gratiam efficiat; sed hæc gratia efficax ad resurgendum a peccato, non est promissa omnibus semel justificatis qui gratiam perdiderunt, neque omnibus secundum legem ordinariam datur. Unde in particulari nullus potest sibi illam promittere sine magna temeritate et præsumptione, etiamsi per revelationem sciret se fuisse ante lapsum justificatum; de omnibus autem justis cadentibus id affirmare hæreticum esset. Nam æque falsum et alienum ab Scriptura et a Catholica doctrina est, dicere justis cadentibus dari infallibiliter reparationem post lapsum, ac dicere omnibus justis dari infallibilliter perseverantiæ donum ne amplius peccent; tum quia, sicut hoc revelatum non est, ita neque illud, et sicut hoc adversatur multis principiis revelatis, ita etiam illud; tum etiam quia hoc in illo includitur. Si enim justificatus semel cadens infallibiliter est habiturus auxilium efficax quo resurgat, ita, si cadat iterum, certus esse potest de alio auxilio efficaci, quo iterum resurgat, quia non est major ratio de uno quam de alio, ac proinde necessarium erit sistere in ultima reparatione gratiæ, post quam non sequatur lapsus, sed habeat donum perseverantiæ finalis infallibiliter conjunctum. Ergo semper justus, sive ante lapsum, sive post unam vel plures reparationes gratiæ post lapsus, timere potest ne aliquando ita labatur ut non resurgat, quia, ut dicitur Eccles. 11: *In die obitus fit unicuique retributio secundum vias suas*, et ideo merito ibidem subditur: *Ante mortem ne laudes* (seu beatificaveris) *hominem quemquam*. Et simili modo dicitur Proverbiorum 27: *Ne glorieris in crastinum, ignorans quid superventura pariat dies*.

12. *Confutatur error Wiclephi.—Respondetur ad primum fundamentum.* — Ad primum ergo fundamentum contrarii erroris, respondemus falsum et hæreticum esse antecedens quod in eo assumitur, scilicet, hominem justificatum per baptismum damnari non posse; id enim in Concilio Tridentino, sess. 7, can. 6 de baptismo, damnatum est, ut in tom. 3, in 3 p., disp. 26, sect. 2, notavimus, et latius probat Bellarmimus, l. 1 de baptismo, c. 14, et ex dictis sufficienter convincitur. Ad testimonia vero quibus illud antecedens probatur, respondetur omnes illas promissiones continere tacitam conditionem, si homo baptizatus vel qualibet alia ratione justificatus Deum non deserat. Nam qui dixit: *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit*, Marci ult., simul dixit: *Docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis*, Matth. ult.; et c. 19, dixerat: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, utique omnia et usque ad mortem, nam locutio indefinita et absoluta hæc omnia includit; præsertim quia c. 10 dixit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*. Eademque responsio est illius promissionis factæ digne communicanti corpus Domini, quod vivet in æternum; nam eamdem conditionem includit, utique si impedimentum non posuerit, vel si gratiam in tali sacramento receptam sua culpa non amiserit. In ultimo autem loco Romanor. 8 sermo est de prædestinatis, de quibus Paulus ait: *Quos prædestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit, quos autem justificavit, hos et glorificavit*. In his ergo certa regula est, sic justificari, ut tandem certo et infallibiliter beatitudinem consequantur. Hinc tamen non

potest talis regula extendi ad omnes qui justificantur, quia non in omnibus justificatio est prædestinationis effectus. Neque etiam inde colligi potest, prædestinatum semel justificatum non posse amplius peccare, contrarium enim est de fide certum, ut ex doctrina superioris capitis, et rationibus ac exemplis ibi adductis convincitur in Adamo, Davide, Petro, et si qui sunt similes, ut latius ostendunt Vega, dicto libr. 12, c. 3 et 5, et Bellarmin., lib. 1 de Amission. grat., cap. 7. Solum ergo in verbis illis docet Paulus prædestinatum ita justificari a Deo, ut tandem gloriam consequatur, sive id sit in prima gratia accepta semper perseverando, quod paucis conceditur, sive cadendo et resurgendo, donec ad aliquam justificationem perveniatur, in qua usque ad finem perseveretur.

13. *Expenditur sensus Concilii Tridentini.* — Denique ad rationem ex Concilio Tridentino, sess. 6, cap. 17, et can. 32, dicitur omne jus quod vel ratione gratiæ vel ratione suorum meritorum justi habent ad vitam æternam, includere illam conditionem, *si in gratia decesserint*, propter quam Ezechiel. 18 et 33 scriptum est: *Si averterit se justus a justitia sua*, etc., *omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur*. Et ratio est clara, quia totum illud jus fundatur proxime in gratia, et illud præmium gloriæ non promittitur, nisi justis, et filiis, qui capaces sint etiam illius, tanquam paternæ hæreditatis. Qui ergo a se ipso voluntarie abjicit gratiam et filiationem divinam, et per pœnitentiam non procurat illam implere conditionem, ut in gratia moriatur, sibi, non Deo imputet quod in æternum gratia et gloria privetur, quia non tenetur ex justitia Deus existentem in peccato vel remunerare, vel ad pœnitentiam agendam cogere; imo in hoc novam gratiam confert, quod auxilium homini offert ad recuperandam gratiam, si velit; quod si id faciat, tunc ad justitiam Dei pertinebit, etiam jus illud per peccatum prius amissum, et per pœnitentiam restitutum illi conservare ac tribuere. Et hic est sensus Pauli ad Hebr. 6, ut latius in propria disputatione de illo argumento tractavi.

14. *Ad secundum fundamentum responsio. — Tacitæ objectionis solutio.* — Ad secundum, negatur assumptum, et illius probatio potest in contrarium retorqueri; nam sicut homo non constituitur justus per divinam prædestinationem, ita neque ex carentia prædestinationis ad gloriam sequitur ut sit injustus. Primum declaratur, quia prædestinatio, ut significat propositum æternum Dei dandi gloriam alicui, sicut non confert homini gloriam ab æterno, nec in omni tempore, sed in tempore per eamdem voluntatem Dei præfinito, ita nec dat homini gratiam pro omni tempore, sed pro illo quod Deus præfinivit; homo autem non constituitur justus nisi per gratiam intrinsecam, et sibi inhærentem, et ideo, quamvis homo prædestinatus sit, nihilominus non semper justus est. Et ideo Paulus, licet prædestinatus esset, nihilominus de tempore priusquam vocaretur vere de se dixit: *Qui prius blasphemus fui, et persecutor, et contumeliosus*, etc., 1 ad Timot. 1; et infra: *Fidelis sermo et omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum*; et ad Galat. 1: *Audistis conversationem meam aliquando in Judaismo*, etc. *Cum autem placuit ei qui me segregavit ex utero matris meæ, et vocavit per gratiam suam*. Unde intelligitur prædestinationem, licet semper sit, non tamen semper vel pro semper operari vocando et justificando, sed cum ei placuit qui hominem prædestinavit. Neque refert quod prædestinatio sit quidam Dei amor, et magnus in ratione sua, quia non est per modum amoris exequentis, sed proponentis, et intendentis quasi in futurum, nostro modo intelligendi; justificatio autem est ab amore exequente et operante de præsenti gratiæ infusionem. Sic igitur etiam e contrario præscientia vel reprobatio hominis damnandi non constituit illum, nec supponit illum injustum pro omni tempore. Primum de constitutione evidens est, quia præscientia Dei non est causa injustitiæ hominis, nec carentiæ justitiæ; et similiter per reprobationem positivam non ordinatur homo ad culpam, sed ad pœnam quæ culpam supponat. Secundum etiam de suppositione manifestum est, quia ut homo sit reprobus, satis est quod in peccato moriturus præsciatur, etiamsi in aliis vitæ suæ temporibus fuerit justus. Et ideo etiam ille, qui est præscitus quoad damnationem, potest esse prædestinatus quoad justitiam temporalem. Et hoc est etiam quod verissime dicunt Theologi, posse reprobum secundum præsentem justitiam plus diligi quam prædestinatum pro illo eodem tempore, amore scilicet operante et benefaciente pro illo tempore, quamvis secundum aliam rationem electionis ac propositi prædestinatus plus diligatur.

15. *Ad confirmationem ex 1 Joan. 2. — Prima expositio ex Augustino.* — *Hæc expositio*

non est litteralis. — Unde ad primam confirmationem, respondetur nihil obstare quominus et prædestinati pro aliquo tempore sint non solum extra gratiam Dei, sed etiam extra fidem et extra Ecclesiam, et reprobi pro aliquo etiam tempore esse possint membra Ecclesiæ per fidem etiam vivam, quia Deus non judicat secundum futura opera pro tempore præsenti, sed secundum ea opera quæ pro eodem tempore homo operatur. Et ad locum Joannis verum quidem est ipsum loqui de hæreticis, qui, cum antichristi fiunt, ex nobis prodeunt vel exeunt, ut Augustinus legit, quia ex ipsa Ecclesia contra Ecclesiam insurgunt, et illam consequenter deserunt, et ab illa exeunt. Ex hac vero parte illorum verborum aperte colligitur eosdem hæreticos, priusquam tales fuerint, de Ecclesia fuisse; non possent enim de illa exire, nisi prius intra illam essent; non possunt ergo huic veritati esse contraria subsequentia verba : *Sed non erant ex nobis*, quia non potuit Joannes in tam paucis verbis contraria dicere. Illa ergo verba, *non erant ex nobis*, non significant: Non erant membra Ecclesiæ, aut, non erant ex societate fidelium vel justorum. Circa illorum autem verborum sensum variæ sunt expositiones. Prima est valde communis, sumpta ex Augustino, ut hæc posteriora verba referantur ad divinam præscientiam, ita ut sensus sit: Exierunt ex nobis secundum præsentem Ecclesiæ statum, quia secundum æternam prædestinationem non erant ex nobis, id est, secundum ordinem divinæ prædestinationis et electionis. Ita Augustinus, lib. de Corrept. et grat., capite nono, quod confirmat ex subjunctis verbis : *Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Nam ex eo quod sint ex nobis, id est, ex fidelibus ac justis secundum præsentem statum, non poterat inferre Joannes, quod permansissent nobiscum; ex eo vero quod sint ex numero prædestinatorum, optime illud infertur; ergo in hoc sensu locutus est Joannes. Eamdem expositionem habet Augustinus, lib. de Dono Perseverant., cap. 8, et 20 de Civit., c. 8, et Ambros. vel auctor. Commentar. ad Rom., 9, et sequuntur ibi Glossa interlineal. Nicol. et plures alii, et Gratian. in cap. *In domo*, de Pœnit., dist. 4. Potestque tribui hæc sententia Tertulliano, libro de Præscript., c. 3, ubi sic inquit : *Nemo sapiens, nisi fidelis; nemo major, nisi Christianus; nemo autem Christianus, nisi qui ad finem usque perseveraverit. Tu ut homo extrinsecus unumquemque nosti, putas quod vides, vides autem quousque oculos habes, sed oculi Domini alti, Deus in præcordia contemplatur, et ideo cognoscit Dominus qui sunt ejus*, etc. Ac tandem in fine capitis, verba Joannis allegat. Et juxta hanc expositionem optime quidem solvitur objectio, nam ex illo testimonio sic explicato potius sequitur posse aliquos non prædestinatos pro aliquo tempore esse fideles et justos. Nihilominus tamen non videtur mihi expositio illa litteralis, tum quia non habet in verbis sufficiens fundamentum; tum quia est nimis subtilis et scholastica, et non juxta simplicem et usitatum loquendi modum; tum præterea quia non erant noti Joanni omnes reprobi, ut de illis qui exierunt tam constanter diceret : *Non erant ex nobis*, neque id cognoscere potuit ex effectu illo, quod *ex nobis prodierunt*, quia non omnes hæretici, qui aliquando ab Ecclesia exeunt, non sunt prædestinati; sæpe enim iterum redeunt et salvantur, et ideo non potuit Joannes propter prædestinationem dicere : *Si enim essent ex nobis, permansissent nobiscum;* sed debuisset sub disjunctione dicere : Vel, permansissent, vel redibunt ut permaneant; tum etiam quia multi nobiscum in Ecclesia permanent, et ab illa per hæresim non exeunt, qui tamen non sunt prædestinati.

16. *Secunda expositio ex Flaviano. — Displicet.* — Altera ergo expositio est, ut Joannes dixerit illos exeuntes a nobis non fuisse ex nobis, quia ficti erant, et quia, licet exterius profiterentur fidem Ecclesiæ, et ideo visi fuerint exire ex nobis, non tamen vere et ex animo catholici erant, sed se tales fingebant, et ideo dicuntur non fuisse ex nobis. Hanc expositionem indicat Flavianus in epist. 1 ad Leonem Papam, c. 2, et habetur post octavam epistolam Leonis in ejus operibus. Sed hæc expositio, intellecta ut sonat, non potest subsistere, neque absolutam veritatem sententiæ Joannis tueri. Quia non omnes hæretici fuerunt prius in Ecclesia tantum ficte, nam Lutherus potuit esse prius verus catholicus, imo et justus, et idem est de Pelagio, et similibus. Nec dici potest Joannem tantum fuisse locutum de hæreticis sui temporis, aut de quibusdam Judæis, qui se tunc Christianos fingebant; hoc enim incredibile est, tum quia generaliter loquitur de antichristis, sive essent gentiles, sive Judæi; utriusque enim generis esse poterant, et non est verisimile omnes illius temporis hæreticos fuisse prius tantum catholicos fictos, cum de Hymenæo et

Phileto Paulus dicat : *A veritate ceciderunt*, et idem significat de Phigello et Hermogene, 2 ad Tim. 1; tum etiam quia scribebat doctrinam profuturam Ecclesiæ pro omnibus temporibus; tum denique quia propter illos tantum fictos non poterat dicere absolute : *Si enim essent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quia multi possunt esse in Ecclesia sine ulla fictione, qui in ea postea non permaneant.

17. *Tertia vera expositio.* — At vero simplicius hanc ipsam expositionem declarando, optime poterit accommodari, nimirum, per fictum intelligendo non solum eum qui nunquam vere credidit, sed eum qui pro aliquo tempore vel publice, vel saltem occulte incipit a communi fide Ecclesiæ, vel certe a bonis moribus nimium discrepare. Sic enim omnes hæretici, et maxime hæresiarchæ (de quibus præcipue videtur loqui Joannes), priusquam publice, et verecundia deposita, Ecclesiam deserant, solent aut vitiis hæreticorum maxime propriis intra Ecclesiam se tradere, præsertim superbiæ et arrogantiæ, vel etiam occulte errores seminare. De quibus ait Cyprianus, libr de Unit. Ecclesiæ : *Gratulandum est, cum tales de Ecclesia separantur, ne columbas, ne oves Christi sæva sua et venenata contagione prædentur.* Isti ergo quando a nobis exeunt, utique publice et aperte, jam prius occulte non erant ex nobis, vel quoad fidem, vel saltem quoad similitudinem bonorum morum quibus fides conservatur. Et hanc expositionem tradit etiam Augustinus, tractat. 3 in 1 epist. Joann., et juxta illam videtur locutus Flavianus, et docet etiam Hieronymus in capite quinto Jeremiæ, libr. 1, in fine, dicens, *projicere Dominum hæreticos de Ecclesia, ut foris colant quod prius intus venerabantur.*

18. *Objectio bimembris. — Solvitur primo quoad utramque partem promiscue.*—Dicet aliquis, licet hoc regulariter ita contingat, ut Catholici non subito deserant Ecclesiam publice, vel contra illam pugnare incipiant, nihilominus non esse id tam certum et infallibile, ut ob eam solam causam Joannes dicere potuerit : *Sed non erant ex nobis,* quia non potuit simpliciter affirmare nisi quod infallibile omnino est. Multoque minus poterat ob eam solam rationem dicere : *Si enim fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Quia hoc etiam non est infallibile, cum interdum possit aliquis usque ad hodiernam diem esse catholicus, et cras hæreticus fieri, et se hæreticum ostendere. Respondeo primo ad utramque partem, interdum loqui Scripturam modo humano, simpliciter affirmando, quod ordinarie et frequentissime evenit, neque id esse contra infallibilem Scripturæ veritatem, quia illæmet locutiones juxta communem verborum significationem et intelligentiam, implicite includunt illam moderationem seu limitationem, scilicet, secundum communem cursum rerum seu causarum, aut similem.

19. *Secundo, quoad priorem partem.—Deinde quoad secundam.* — Deinde dico ad priorem partem, licet non sit absolute necessarium ut externa mutatio occulta in homine hæretico præcedat, antequam manifeste ab Ecclesia discedat, nihilominus esse necessarium ut saltem mente prius deliberet, et voluntarie fidem interius neget. Qui enim fieri potest ut is qui antea catholicus erat et firmiter credebat, postea exterius ab Ecclesia recedat, nisi prius animo pertinaci et deliberato fidem interius abneget? Hac ergo ratione omnino infallibile est ut qui aperte a nobis exeunt, jam antea non essent ex nobis, occulta, saltem interiori, perfidia, sive illa diuturno, sive brevi tempore præcesserit; nam ad veritatem illius locutionis quodcumque brevissimum tempus sufficit. Unde ad alteram partem respondetur facile, merito dixisse Joannem, quod si essent ex nobis permansissent nobiscum, quia, si mente essent firmi, adhærentes Christo, non fierent antichristi, hæreses contra illum seminando aut sequendo. Atque hanc responsionem attigit Vega, dicto lib. 12, cap. 8, et illam Augustino tribuit, dicto tractat. tertio. Sed videtur potius ampliatio et declaratio eorum quæ Augustinus in illo loco nos docuit. Magis videtur mihi insinuasse hanc expositionem Tertullianus, dicto lib. de Præscript., cap. 36, in fine, ubi post explicatam Apostolicam traditionem, subjungit : *Hæc est institutio, non dico jam quæ futuras hæreses prænuntiabat, sed de qua hæreses prodierunt, sed non fuerunt ex illa, ex quo factæ sunt adversus illam.* Fiunt autem hæreses mentis protervia et præcipitatione, et ex quo sic ab aliquo fiunt et concipiuntur, ille vere et in re desinit esse ex Apostolica Ecclesia, ex qua postea manifeste prodit. Et ita etiam solvitur optime objectio, quia Joannes ibi non asserit eum, qui exit ab Ecclesia, nunquam fuisse ex illa, sed prius se ab illa separasse, vel moribus pravis, vel etiam occulta seu mentali perfidia, quam hostis manifestus ejus esse incipiat.